Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dit. Veniente anno acceptabili et tempore salutis. quo solent reges illi de quibus iob dicit: Nunc enim dormiens silerem cum regibus et consulibus terrae. qui edificant sibi solitudines. ad bella procedere. contra spiritalia nequicie. Annus iste uel tempus istud fuit. quo deus per datam legis scientiam. fideles suos aduersus diabolum et hunc mundum armauit. Unde sequitur. Misit dauid ioab et seruos suos cum eo. et uniuersum israel. Per ioab qui est pater interpretatur. moyses legislator figuratur. quem deus uelut signiferum suum cum seruis suis prophetis. omnique fidelium suorum exercitu. per datum sibi decalogum misit ad debellandum hunc mundum. Sequitur. Et uastauerunt filios ammon. et obsiderunt rabbath. Per filios ammon qui onerantes interpretantur. maligni spiritus figurantur. Per rabbath quae multitudo dicitur. mundus iste intelligitur. in quo multi uocati. pauci sunt electi. Demonum uastatio. uel rabbath obsidio. mundi huius est expugnatio. ad quam tota legislatoris et prophetarum tendit intentio. Sequitur. Dauid autem remansit in ierusalem. Filius dei designatus in prophetia et lege. remansit in ecclesia. cui se mediam interposuit synagoga. secundum quod obstetrix illa ad phares est locuta. Quare diuisa est propter te maceria. Cum haec agerentur. accidit ut surgeret dauid de stratu suo post meridiem. et deambularet in solario domus regiae. Moyse dei signifero. cum prophetarum contubernio. et uniuerso fidelium collegio. in expugnatione huius mundi posito. surrexit filius dei de stratu suo. Quid per stratum filii dei accipimus. nisi crucem ipsius. iuxta quod psalmista loquitur in persona eius. Laboraui in gemitu meo. lauabo per singulas noctes lectum meum. lacrimis meis stratum meum rigabo. Et alibi. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. uniuersum stratum eius uersasti in infirmitate eius. Plenus est enim ager

lentis. tota uidelicet sancta scriptura ueteris testamenti madet saluatoris sanguine. Per singulas noctes. ignorantiam dei et sui accipimus. uel duplicem mortem corporis et spiritus. quibus noctibus implicatum tenebatur reatu primi hominis. omne humanum genus. Per quibus singulis noctibus. filius dei crucem suam sanguine suo lauit. et lacrimis stratum rigauit. scilicet eandem crucem mortis suae penis ad salutem credentium fecundauit. Deus quoque pater opem illi super lectum doloris. per resurrectionis gloriam tulit. cuius sepulchrum infirmitate mortalis eius sanguinis humectauit. Sequitur. Post meridiem. Post meridiem horam nonam significat. quando filius dei in cruce clamabat. Pater. in manus tuas commendo spiritum meum. Que nimirum spiritus depositio. illa fuit surrectio. quae ad destructionem inferorum. ad ereptionem suorum. suae maiestatis exercuit triumphum. Sequitur. Et deambularet in solario domus regiae. Solarium quod ante domum extenditur. resurrectio domini intelligitur. per quam ut per solarium introitus in domum regiam. id est ascensio in celestem aulam ei disponitur. Deambulatio ista postmeridiana. deambulationi illi est opposita. qua in paradyso deambulans percunctatur et dicens. Adam ubi es. Ibi enim agebatur res tristicie. hic agitur res leticie. Unde bene subditur. Viditque mulierem se lauantem ex aduerso. super solarium suum. Uidere dei. est eius misereri. Uidit ergo filius dei mulierem se lauantem. scilicet respexit ecclesiam in penitentia et confessione peccatorum se emundantem. Ex aduerso super solarium suum. Ex aduerso se lauat. quae uoluntati creatoris suam uoluntatem attemperat. Super solarium se lauat. quae in resurrectione saluatoris. totam spem suae salutis collocat. Unde bene subditur. Erat enim mulier pulchra ualde. Pulchra ualde fuit antiqua illa ecclesia in patriarchis et prophetis. ceterisque illius temporis sanctis. fide uel actione deo et utroque populo acceptis. Misit ergo rex et requisi